E. Schaumann

AUTORUM ANTIQUITATIS ILLUSTRIUM ET CLASSICORUM VITAE.

FASCICULUS PRIMUS.

PROLUSIO SCHOLASTICA,

QUA AD

GYMNASII BUDINGENSIS SOLEMNIA VERNA,

DD. XXIV. XXV. ET XXVI. MART. MDCCCXXV.

PUBLICE CELEBRANDA,

OMNES LITERARUM FAUTORES ATQUE AMICOS,

EA, QUA DECET, PIETATE ET OBSERVANTIA,

INVITAT

ERNESTUS SCHAUMANN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, GYMNASII COLLEGA ALTER,
EJUSDEMQUE BIBLIOTHECARIUS.

BUDINGAE, TYPIS HELLERI.

Prooemium.

„Legendi poëtae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores atque doctores et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, et quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum.“ Ita Cicero[1]) et cum illo omnes nostrae memoriae viri doctissimi. Et quis est tam humanitatis plane expers, qui autorum, classici[2]) qui nominantur, ſcripta maximi habenda esse neget, cum in iis monumenta[3]) exstent justitiae incorruptae, pietatis sanctissimae, clementiae magnificae, amicitiae generosae, quin virtutum, excepta nulla, omnium? Nonne summi viri, reges, et domi et militiae celeberrimi, autorum classicorum studio gloriae magnam partem debuerunt? An quisquam ignorat, Alexandrum magnum Homeri libros secum sem-

---

1) de Oratore Lib. I. cap. 34. §. 158.

2) Servius, ſextus rex Romanorum, census causa cives Romanos in sex classes (Livius hist. I, 43.) deſcripſerat. Cives primae classis ob divitiarum praestantiam honoris causa classici prae ceteris dicebantur. Quare etiam praestantissimi autores hoc nomine gaudent, qui eximio ingenii acumine exornati stilo quoque faceto, sublimi, optimo utuntur. — Videatur Gellius noct. att. lib. VII. cap. 13. „Classici dicebantur non omnes, qui in classibus erant, sed primae tantum classis homines, qui C et XXV millibus aeris ampliusve censi erant.“

3) Cf. libellum nostrum „Disciplinae artesque praestantissimae“. Giessae, 1823. 8. Cap. I. §. 4.

ter tulisse[4]), eos militiae suae viaticum, institutionem bellicae virtutis, pretiosissimum humani ingenii nominasse monumentum, et Achillem[5]) felicem, quod tantum virtutis ſuae praeconem invenisset? Illi sane haec carmina virtutis incitamentum maximum ſuere, et ille prae ceteris versus[6]), qui boni imperatoris fortisque militis laudes Agamemnoni impertit. Cuinam traditum non est, Augustum celeberrimos sui temporis scriptores atque poëtas, Horatium[7]) Virgiliumque[8]), coluisse? Antoninos literarum studio claruisse? Carolum[9]) magnum, qui toties cum hoste conflixit, tot bella gessit, tot et tantos populos in potestatem ſuam redegit, tot reportavit victorias, scientiis proferendis summa opera adſuisse? Iam vero, Principibus nostrae aetatis, musarum et literarum clementissimis pariter ac indulgentissimis patronis, quae par potest oratio inveniri? Studii hujus, quo gloriam Sibi aeternam parant patriae Parentes, omnes nationes,

---

4) Plutarch. de fort. Alex. I, 4.

5) Cicero pro Archia poëta Cap. 10. §. 24. „Atque is (Alexander) tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, o fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris. Et vere. Nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset."

6) Ilias III, 179.

7) Qui in carminibus suis passim eum celebrat. Cf. Od. IV, 5. Epistt. II, 1. etc.

8) Videas eundem Horatium in Epist. II, 1. vs. 245 — 247.

„At neque dedecorant tua (Augusti) de se judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae."

porro Virgilium in Aeneid. lib. VI. vs. 792 sqq.

„Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio ——

lib. VIII, vs. 678 sqq. etc.

9) Rotteck. hist. univers. ed. 5. Tom, V. pag. 564.

omnesque populi testes sunt! — Et profecto, neque praestantia librorum, quos a graecis et romanis autoribus classicis compositos accepimus, neque utilitas negari potest. Nulla enim scientia[10]) ſine eorum adminiculo absolute addisci potest, quum iidem illi praestantissime de artibus, quae ad humanitatem pertinent, et cognatione quadam inter se cohaerent[11]), omnibus scripserint. Cognitio deinde literarum, cum magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferamus[12]), ingenium nostrum acuit, orationem quasi colorat [13]), metum[14]) pellit, animum relaxat[15]). Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent[16]), delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur; iis et fortunae gravissimo percussi vulnere[17]) dolorem suum levarunt[18]). Illorum igitur juvenis scripta[19]) legat, discat haurire ex

---

10) Marcsius lib. II, ep. 8., et in Posselii Calligr. ep. dedicat.
„Qui non graeca simul junxit documenta latinis,
Hic vere docti nomen habere nequit.“

11) Cicer. pro Archia poëta c. 1. §. 2. 12) Idem de offic. lib. I. cap. 6.

13) Id. de oratore lib. II. c. 14. 14) Id. de finibus I. I. c. 19.

15) Id. pro Archia c. 6. §. 12. Virgilius ecl. V. vs. 45 ſqq.
Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restringere rivo.

16) Cicero pro Archia cap. 7. §. 16. et Plinius lib. VIII. epist. 19., ubi legitur: „Et gaudium mihi, et ſolatium in literis; nihilque tam laetum, quod his laetius; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste.“ Id. III, 6.

17) Cic. academ. quaestt. l. I. c. 3. 18) Id. de finibus II. c. 19.

19) Eis certe exceptis, quae juvenili animo minime apta in nonnullis passim occurrunt. Audiamus de hac re Quinctilianum in institutionibus oratoriis lib. I. c. VIII. §. 4. „Cetera admonitione magna egent: in primis, ut tenerae mentes non modo, quae diserta, sed vel magis, quae honesta sunt, discant. — — Partes igitur operis elegeris, nam et Graeci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari“. Idem l. c. V. §. 18.

fonte hoc doctrinae, artium, humanitatis, discat a tenera inde aetate, nam[20])

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstret eques, — —

cognoscat ex iis virtutes, quibus homo exornatur, mores, qui vim[21]) promovent insitam, pectora roborant, quibus feri[22]) mitescunt, suos reddat hos mores, eradat[23]) cupidinis pravi elementa! Quae cum ita sint, cognitio vitae publicae et privatae autorum veteris memoriae celebrium juventuti, doctrinae studiis deditae, usui tantum esse potest, cum partim industria illorum doceat, vel naturae impedimenta diligentia superari[24]), partim perversum sit, quorum scriptis operam navant, eorum nec vitae res gravissimas, nec tempus, quando floruerint, cognovisse. Quamvis viri, doctrina et ingenio satis ornati, jam conscribendae autorum notitiae vacarunt, nos tamen non fefellit, juvenes, literarum studiosos, huic disciplinae eam, qua digna esset, operam minime navare. Quare laborem frustra suscepisse non putamus, cum ea, quae usus classicorum[25])

---

20) Horat. Epistt. I, 2, 64. Ibidem vs. 69.
„Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu".

21) Horat. Odar. libr. IV, 4.

22) Idem Epist. I, 1, 39.
Nemo adeo ferus, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem. Cf. Plin. epistt. IV, 4.

23) Idem Od. III, 24. Et in arte poëtica vs. 330 sqq.
— — At haec animus aerugo et cura peculi
Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cypresso?

24) Cicero de Oratore I, 61. Quid exempla efficiant, nos in ephemerid. Germ. univers. a. 1822 exposuimus.

25) Plurima nos Ciceroni, e cujus scriptis doctrinam nostram, qualemcunque, otii oblectationem, dolorum medicinam (acadd. quaestt. lib. I. c. 13.) petivimus, et in hoc libello conscribendo debere, grata mente profitemur.

et antiqui et nostri temporis nobis obtulit, collegissemus; praemioque nobis maximo erit, si nonnulli modo adolescentes hisce pagellis ad studium diligentius excitantur. Viros autem doctos rogamus, ut in judicando hoc libello indulgentia utantur, quia, paucis tantum doctrinae praesidiis instructi, loci temporisque angustiis inclusi, multis aliis laboribus occupati, fortuna, quae a tenera inde aetate acriter nos vexavit, gravi afflicti, dolori vix resistentes, quae sequuntu, conscripsimus. Sed — in magnis jam voluisse sat est.

Occasione data, continuatio hujusce libelli sequetur.

Graecorum autores praecipui.

---

§. 1.

Orpheus et Musaeus.

Orphea poëtam quinquaginta fere annos ante bellum trojanum vixisse[1]), pauci tantum sunt, qui negent. Oeagri et musae Calliopes filius*) fuisse traditur et ex Thraciae[2]) urbe Libethra ortum Suidas narrat. Thraces, populares et aequales, mores sanos[3]) probosque, deorum[4]), et praesertim Bacchi, cultum docuisse videtur. Sed, quae divino huic vati, qui

1) Cicero quidem de natura deorum I, 38. „Orpheum, inquit, poëtam Aristoteles docuit nunquam fuisse“ sed haec, putamus, de carminibus tantum suppositis vatis illius interpretanda sunt. *)Orph. argonautic. vss 77. 1376.

2) Ovid. Metamorph. Lib. XI. Fab. I. vs. 2. Threicius vates. Lib. X. fab. 2. Rhodopeius. Horat. Od. I, 24, 13.

3) Horat. ars poët. vs. 391. sqq.
Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.

4) Idem ibid. vs. 391. interpres Deorum, idem 396. sq.
— — Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis.

Silvas atque feras et saxa carmine traxit,

hodie adscribuntur, supposita sunt. Praestantissima sequuntur.

1) **Argonautica.** Pelias, Thessaliae rex, sortem acceperat, se illius manibus moriturum, quem altero pede nudum ad se venientem vidisset. Iason, ad sacra, quae forte fiebant, festinans, calceo in torrente relicto, ad Peliam se contulit, qui, sortis haud immemor, mortem ei molitus, ipsi persuasit[5]), ut ad vellus Colchorum[6]) aureum[7]) rapiendum proficisceretur[8]). Jason Graecae juventu-

---

5) Arbitrantur alii, heroës, per facta celeberrima jam notissimos, cepisse sponte sua consilium, una sejunctas regiones petendi, opibusque Aeetis, Colchici regis, potiundi. Homerus quoque in Odyss. lib. XII. vs. 69—72 hujus expeditionis meminit, qui, vix unam sospitem fuisse fluctivagarum navium, canit, Argo celebratam, ab Aeete redeuntem; sed et haec spumantibus aequoris undis obruta, fractaque carina, antennis scissis jactata esset, et

Jam fractas aquilone rates submersaque pontus
Corpora — —

caecis abscondisset in antris, nisi Juno, Jasoni favens, tulisset auxilium. Orph. argon. 58.

6) Colchis ad Caucasum, Armeniam, Iberiam et Pontum Euxinum sita erat. Plura v. in Sickler. geogr. antiq. Cassel. 1824. 8.

7) De hoc aureo vellere tractat Tacitus annal. lib. VI. Cap. 34. Diversae exstant de eo opiniones. Alii arietem navis insigne fuisse crediderunt, alii, Argonautarum expeditionem ad mercaturam esse referendam, et aureum vellus vel ad opes Colchorum, praecipue lana et pellibus exportatis collectas, vel ad vellera agnina, quibus aureas arenas illi collegerunt. Cf. Herodot. 7, 197. Diodor. 4, 55. 56. Varro R. R. 2, 1. Colchos opulentos fuisse, legimus in ipsis Orphei argonauticis vs. 54., et in Plinii histor. natur. XXXIII, 3. Ceterum de hac fabula cf. Heyne ad Apollodor. I, 9, 16—28., et Hermanni mytholog. T. 3. pag. 277 sqq. — V. quoque de aureo vellere Orph. argon. vs 59.

8) De Pelia persuadente cf. Orph. argonaut. vs. 58. Ibid. vss. 834. sq.

tis[9]) florem collegit, ipse fortium dux[10]) fortissimus, solvit ex Pagasis[11]), et varios post casus[12]) ad Colchos appulit[13]). Regnavit ibi Aeetes, Solis filius[14]), qui, oraculo accepto, se periturum, cum nautae peregrini vellus aureum sustulissent, omnes ſe hospites trucidaturum esse edixerat, ideoque et Argonautas[15]) e medio tollere[16]) cogitavit. Medeae vero, Aeetis ipsius filiae, Jasonis amore correptae[17]), auxilio periculis omnibus ſuperatis, aureoque vellere rapto[18]) Argonautae, Medea comite, in patriam reversi sunt[19]). — Orphea quidem autorem hujus carminis non esse, inter recentiores nemo est graecae linguae paulo peritior, qui nesciat: de autore vero et de tempore valde dubitatur. Plurimi seculo quarto aut quinto post Chr. n. compositum esse opinantur. Loca in eo pul-

---

9) Heroum nomina affert Orph. arg. vs. 118—230.

10) Ibid. vs. 302. 806., Aesonis filius, l. c. 82. Ovid. Metamorph. lib. VII. fab. 1. vs. 84. Cf. Goeth. de arte et antiq. Tom. II. fasc. 1. Stutgard. 1818.

11) Pagasae, Thessaliae promontorium, ubi Argo aedificata erat, quae ea ex causa apud Ovidium Met. VII, vs. 1. puppis Pagasaea audit. Orph. arg. vs. 112.

12) Ov. Met. VII, 5. „Multaque perpessi claro sub Jasone."

13) Orph. l. c. 797 sqq. 14) Ibid. 55. 841. sq. 15) Ab navi Argo, quam Argos, Junonis et Minervae ope adjutus, struxerat (Ibid. vs. 267.), et quae navis quoque prima nominatur (Ovid. Met. l. VI. vs. ult.), ita dicti.

16) Orph. l. c. 865. 17) Ib. 880. sq. Ov. Met. VII. 9.
„Concipit interea validos Aeetias ignes."

18) Orph. l. c. 1018. 19) Ib. 1369 sqq. Ovid. Met. l. c. 155 sqq.

— — „et auro
Heros Aesonius potitur spolioque superbus,
Muneris auctorem (Medeam) secum spolia altera portans,
Victor Jolciacos tetigit cum conjuge portus."

Cf. praeterea Justin. histor. XLII, 3. Pind. od. pyth. IV. Ovid. in epist. Med., Suidas v. Medea, Seneca tragoed. Medeae quoque fugientis meminit Cicero in orat. pro Manilia lege cap. IX. §. 22.

cherrima inveniuntur, v. c. de somno, vss. 1004. sqq., suaviora versibus imitatoris Valerii Flacci, canentis:

Quae freta saepe tuo (somni) domui, quae nubila cornu,
Fulminaque, et toto quidquid micat aethere: sed nunc,
Nunc, age, major ades, fratri simillime leto!

2) Hymni 86, Musaeo dedicati. Carmina solemnia. Sed et ea serioris aevi, quamvis Argonauticis vetustiora, esse videntur.

3) Lithica, de lapidum quorundam viribus. Ex quarto p. C. n. seculo.

Et de Musaeo certi nihil notum est. Majores ejus Thraces, ipsum vero pater Antiphemus ex Hellene Athenis accepisse dicitur. Multa ei veteres carmina adscripserunt, ejusque sub nomine carmen eroticum, Hero et Leander, exstat, cujus fortasse quinti p. C. n. seculi Grammaticus illius nominis est autor.

Nolite mirari, autores antiquissimos poëtas[20]) fuisse. Carmina a vetustissimis inde temporibus homines in deliciis habuere[21]), et a summis viris eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constare, poëtam natura ipsa valere[22]) et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spi-

20) De poësi cf. libellus noster „Disciplinae artesque praestantissimae" Cap. II. §. 9. 1. et de vetere poësi in specie Cap. III. §. 4.

21) Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Cicero pro Archia c. 8. Rudem esse omnino in nostris poëtis aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. Id. de fin. I. c. 2. Nihil tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces, quibus et excitamur et incendimur et lenimur et languescimus et ad hilaritatem et ad tristitiam deducimur. Id. de oratore lib. I. c. 3.

22) Cicero pro Archia c. 8. Aristoteles probl. XVII. Sect. 19. Strabo Geogr. l. I. Lactantius institutt. divin. L. VII. c. 22.

ritu inflari. Ita priscis populis in more positum fuit, leges civitatum, vitae praecepta resque gestas carminibus aequalibus et posteris tradere[23]).

§. 2.

H o m e r u s.

Homerum, de cujus[1]) stirpe

— — septem oppida certant,

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chius, Argos, Athenae, circa annum ante Christum millesimum vixisse vulgo narrant. Coecus quidem fuisse fertur, at ejus picturam, non poësin, videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formae, quae pugna, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quae ipſe non videret, nos, ut videremus, effecerit[2])? Opera ejus, quae adhuc supersunt[3]), et Ilias potissimum cum Odyssea poëtam ipsum fuisse nobilissimum[4]), egregium, summa laude dignum, satis declarant. Cecinit ille

Pelidae stomachum, cedere nescii,

23) Horatii ars poët. 396. Jo. Franc. Grandisius in dissertat. de origine ac progressu poëseos hebraicae, graecae, romanae et gallicae. Isaacus Vossius de poëmatum cantu et viribus rhythmi. Oxon. 1673.

§. 2. 1) Cicero pro Archia poëta Cap. 8. §. 18. Homerum Colophonii civem esse dicunt suum: Chii suum vindicant; Salaminii repetunt; Smyrnaei vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt. Aul. Gellius noct. att. L. III. c. 11. Homerus omnibus pari modo temporibus celeber fuit. Meminerunt ejus et carminum ipsius scriptores praestantissimi. Horat. Od. I, 6. 8. 10. 15. II, 4. 9. etc. Plinius passim in epistolis, aliique multi. 2) Cicero ita loquitur Tusculan. Quaestt. V. c. 39. §. 114. quod dictum pro omni laude supra posuimus. 3) Composuit quoque carmina, quorum nullae sunt reliquiae, cf. Herod. lib. IV. c. 32. 4) Ita aestimatum, ut illustrissimum quemque Homerum appellarent, v. c. Cicero Tusc. Quaest. I. c. 32. §. 79. „Plato Homerus philosophorum.“

Et cursus duplices per mare Ulyssei,
Fortem Merionen, et ope Palladis
Tydiden superis parem;

et ita cecinit, ut quem anteponam illi, nullum, quem comparem, neminem inveniam.

Graecis Trojam occupantibus[5]) Achilles ob acceptam ab Agamemnone injuriam iratus exercitum reliquit. Thetis, quae Jovem, Deorum hominumque parentem, servarat,

Quando illum reliqui Di convincire volebant,
Juno Neptunusque simul, Pallasque Minerva[6]),

filii memor injuriae rogat, ut Trojanis tribuat victoriam, et is, cui pavide[7]) omnes obediunt, precibus[8]) annuit[9]). Graeci quidem,

5) Ob raptam Helenam cf. Iliad. II. 177. 356. III. 48. „Insigni ea pulchritudine praedita fuit, qua in tota rerum natura nihil erat augustius, nihil preciosius, nihil divinius.“ Isocratis laus Helenae. Ipsa vero et minus pulchra esse maluisset, dicit enim in Euripidis Helena:

Ceterae enim propter pulchritudinem felices sunt
Mulieres, nos haec ipsa perdidit.

Venus et raptae Helenae et belli causa nominatur, nam

Fraudolenta, cruenta
Venus Graecis attulit
Mortem et Trojanis. Euripid. in Helena.

6) Iliad. I. 399. 400.

7) Horruerunt omnes omnipotentem, qui ira correptus, nec uxori pepercit,

(Jamne, inquit, fugit, quando ex alto suspensa trahebas
Incudes pedibus pendentes, vincula palmis
Aurea et haerebas sublimis in aethere et altis
Nimbis, et magnum fugere Dî per Olympum? Iliad. XV, 18 sqq.)

nec filio Vulcano, quem e coelo dejecit. Is vero

Decidit in Lemnum et pauxillum animae retinebat. Iliad. I. 592. Fratrem negligit

— — Qui tenet aedes
Horrendas, tetras, Dî quas odere perennes. Iliad. XX, 65.

8) Iliad. I. 508. 9) Iliad. I, 526 sqq.

postquam ipsis potusque cibique exemta cupido est[10]), saepius cum Trojanis manus conserunt: sed ii, quibus auxilium pater ipse Deorum tulit, victoriis elati, classem ipsam hostium incendio[11]) deleturi, a Grajorum primoribus et a Patroclo[12]), Achilleis armato armis, aegre tantum pelluntur. Hunc Hector interficit[13]), Trojanorum dux, armisque privat. Quem vero regum preces non moverant, Achilles, amici caede permotus in pugnam processit, Hectora prostravit[14]), funus instituit egregium, et corpus Hectoris Priamo patri petenti pro immensa pecunia reddidit[15]).

Plus adhuc artis in Odyssea invenies. Decem periere anni, ex quo Ulysses[16]) Ilii oras reliquisset. Rege absente, Ithaca a scelestis[17]) turbatur, conjux illius integerrima, Penelope, acriter[18]) vexatur. Filius Telemachus reliquit insulam, Nestorem et Menelaum[19]) de patris fato rogaturus. Ulysses autem, Calypsus insula relicta[20]) deinde a Phaeacum rege benigne exceptus[21]), domum postremo redit[22]) et a Telemacho, interea etiam in patriam reverso[23]), adjutus, impios illos procos opprimit[24]). Lycurgus[25]) primus fuisse traditur, verum horum carminum pretium intelligens. Sapientiae is praecepta ibi reperit, ubi vulgus fictiones tantum jucundas vide-

---

10) Iliad. II. 432. 11) Iliad. XV. 744. XVI. 122.
12) Iliad. XVI. 257. 13) Iliad. XVI, 853. 14) Iliad. XXII, 330. 15) Iliad. XXIV, 685.
16) Horatius de arte poët. 140 sqq.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi Musa virum, captae post tempora Trojae,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat: ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim.

17) Odyss. I. 255. 18) Odyss. I. 249. 19) Odyss. I. 285. 286. 20) Odyss. V. 263. 21) Odyss. VII. 167. sqq. 22) Odyss. XIII. 95. 116. 23) Odyss. XV. 481. 24) Odyss. XXII. 25) Plutarchus in Lycurgo.

rat. Ex Jonia igitur in patriam suam ambo carmina tulit[26]). Rhapsodi tum Graeciam peragrarunt, ex Iliade vel Odyssea singula loca canentes, Diomedeos alii virtutem, Hectora alii et Andromachen, mortem alii Patrocli. Quod jam Soloni[27]), puto, in animo fuit, id Pisistratus[28]) fecit. Redegit enim carmina in eum ordinem, quem temporibus Ciceronis[29]) servabant, nostraque etiam memoria servare videntur. Graeci jam Homeri operibus ad pueros instituendos[30]) utebantur, merito hodie in scholis ea leguntur.

Homerum juvenes legite seduli!
Sublimis, sapiens, Maeonides sacer
Donat gaudia vera
Dilectis heliconiae
Musae — —

26) Aeliani histt. var. XIII. c. 14. 27) Diogenes Laërtius I. 57. 28) anno 555. a. Chr. n. 29) Cicero de oratore III. c. 34. §. 137. Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. De Pisistr. Herod. V, 66. I, 59. Plut. in Sol.

30) Eustathius in Iliad. lib. 1. pag. 145. Poëtae, pictores, statuarii ex eo fonte hauserunt. Et revera, cum omnibus cujuscunque generis artificibus exempla pulcherrima proponat, poëtas et musicos summis laudibus ornat, quorum operibus solatium cujusvis fortunae inesset. Ita Achillem, quamvis ira percitum, reperiunt legati

— — cupientem animum cithara oblectare canora,
Pulchra, daedalea, capulusque argenteus illi:
Quam de praeda habuit capta Eetionos ab urbe.
Hac mentem recreabat — —

cf. Hom. Iliad. IX. 186 sq. Sextus Empiricus adversus Musicos §. 11. Ita Agamemnonem fingit musicum quendam fidelissimum uxoris Clytemnestrae custodem et moderatorem reliquisse. At Aegysthus illum callide in desertam insulam abductum

Esse cibum praedamque avibus canibusque reliquit,

et tum demum incustoditam Clytemnestram libidini suae obnoxiam effecit. Odyss. III, 265. sqq.

§. 3.

H e s i o d u s.

Hesiodus Ascraeus[1]), Ascra autem Boeotiae oppidum, circa annum a. Chr. octingentesimum vixisse[2]) videtur, quamvis alii Homeri aequalem eum fuisse tradunt, quem etiam in certamine, a strenuo Amphidamante in Euboea instituto[3]), superasse eaque ex causa tripoda Musis posuisse fertur, inscriptum:

Hesiodus posuit Musis Heliconibus istum,
Cum cantu vicit divinum in Chalcide Homerum.

Sed missis hisce, de carminibus, ei adscriptis, pauca addamus. Exstant adhuc

1. Opera et Dies, vel praecepta de vita, prudenter agenda, de educatione, de re rustica, de navigatione cet.,

Quin etiam ruris leges cultusque recludit,
Militiamque soli, Bacchoque colles amari,
Fecundae Cereri campos et Palladi utrumque,

---

§. 3. 1) Num Ascrae natus sit, an serius id fuerit ejus domicilium, in dubio adhuc est. Plerique cum Suida Cymen, Aeoliae urbem, patriam ejus appellant, quam cum filiis pater ob paupertatem reliquisset. Hoc quidem Hesiodus ipse minime negat, cum in Oper. et diebus vs. 634 sqq. dicat, patrem, Cyme Aeolide relicta, in navi nigra, nec divitias fugientem, nec opulentiam, sed malam pauperiem, quam Jupiter tribueret hominibus, Ascram venisse, miserum in vicum prope Heliconem. — Se ipsum autem loco alio nunquam latum mare navi transmisisse canit, nisi in Euboeam ex Aulide. Opp. 648.

2) Suidas: Fuit autem Homero, ut quibusdam videtur, antiquior. Alii eadem tempestate vixisse dicunt. Porphyrius et alii centum saltem post annis floruisse tradunt. Eadem Vellejus Paterculus. Simplicitate homerica carmina ipsius minime gaudent, et cum Vossio tertio post Homerum seculo vixisse eum credimus. 3) Opp. 652.

Sylvarumque Deos sacrataque numina Nymphas,
Pacis opus, magnos naturae condit in usus.

Virgilius imitator:

Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

2. Theogonia, vel de Deorum Dearumque ortu et genere liber, in quo

Hesiodus memorat divos divumque parentes.

3. Heraclis clypei descriptio. Serioris aevi.

Poëta hic, qui opere saltem suo, quod primo loco nominavimus, et quod sui generis primum[4]) fuisse dicitur, de aequalibus et posteris valde meritus est, et qui usque ad magnam senectutem[5]) carmina composuit, a viris doctissimis iterum atque iterum laudatur[6]).

§. 4.

Callinus et Tyrtaeus.

Callinus Ephesius. Quando vixerit, certe edici nequit, videtur autem circa annum septingentesimum a. C. n. floruisse. Quamvis carminum elegicorum nec origo nec autor satis certi[1]) sint, is tamen vulgo autor hujus carminum generis nominatur. Apud Stobaeum fragmentum adhuc elegiae ejus exstat. Eum secutus est

---

4) Nullus ante eum scriptor de re rustica librum composuerat. Plinius histor. natur. XIV, 1. 5) Cicero de senectute. VII. §. 23. Num — Hesiodum — — coëgit in suis studiis obmutescere senectus?

6) Cf. Quinctilianus in institutt. oratt. X, 1. §. 52. Vellojus Paterculus hist. rom. I. §. 7. „Hesiodus vir perelegantis ingenii et mollissima dulcedine carminum memorabilis.“ Cicero Leptam juniorem, ut ediscat Hesiodum, admonet, habeatque in ore

— — virtutis sudorem — Epistt. ad div. VI, 18.

§. 4. 1) Horat. ars poët. 77. 78.

Quis tamen exiguos elegos emiserit autor,
Grammatici certant et adhuc sub judice lis est.

Tyrtaeus Atheniensis. Reddamus, quae de eo Pausanias[2]), Strabo[3]) et Justinus[4]) narrant. Bello cum Messeniis orto, Lacedaemonii de eventu ejus oraculum Delphicum consuluerant. Iussi ducem ab Atheniensibus petierunt, et hi, in contemtum eorum, Tyrtaeum poëtam, pede claudum, quem ipsi insanum fere putarunt[5]), misere. Hic vero carminibus suis, virtutis incitamenta et gloriam celebrantibus, ita Spartanos excitavit, ut, non de salute, sed de sepultura[6]) solliciti, hostem aggressi, ad postremum victoriam reportassent. Spartani civitatem[7]) ei donarunt. Supersunt elegiae tres et ceterarum fragmenta nonnulla. De metro nugatur Ovidius[8]).

§. 5.

A r c h i l o c h u s.

Archilochus[1]) Parius circa Ol. 15 — 29 vixit[2]). Pater fuit Telesicles, mater Empona. Jam puero oraculum ingentem destinavit gloriam. Fortuna autem adversa odio animum[3]) implevit. Saepius jam et graviter a sorte afflicti mentem Neobule, Lycambis filia, venustate sua[4]) ceperat. Cum jam, ipsius patrisque favore fretus, nuptias speraret, aemulum ei quendam, auri cupiditate adducti, praetulerunt. Tum vero poëta furiarum vibravit flagella, tantisque contumeliis antea amatam et domum ejus afflixit, ut sponte mortem oppeterent[5]).

Cetera fortem eum fuisse negant. Ipse in pugna clypeo relicto se vitam servasse cecinit. Lacedaemonii hac re facti certiores, eum

---

2) Pausanias IV. 15. 3) Strabo VIII. p. 556. 4) Justinus III, 5.
5) Laërtius lib. II. §. 43. 6) Horat. ars poët. 402. sqq.
7) Thucydides V, 69. Plato de legg. lib. 1. 8) Ovidius amor. III. 1. 8.

§. 5. 1) Herodot. lib. I. cap. 12. 2) Cicero tuscc. quaestt. I, 1. §. 3. Romulo cum regnante, Ol. 3 sqq., vixisse enarrat.
3) Quinctilianus inst. or. X, 1. §. 60. Horat. ars poët. 79.
„Archilochum proprio rabies armavit jambo."
4) Horat. epod. VI, 13. 5) Suidas in Lycambe.

expulerunt[6]). Postea fortitudinis gloriam sibi reparaturus, in certamine a Callonda quodam occisus periit

Jamborum ejus, fabularum elegiarumque fragmenta pauca adhuc exstant.

Poëta egregius quidem nominatur[7]), Vellejus Paterculus[8]) cum Homero praestantissimum eum appellat; Lacedaemonii autem[9]) libros ejus e civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Crediderunt enim, plus ea moribus nocere, quam ingeniis prodesse.

§. 6.

Alcaeus et Sappho.

Alcaeus, cujus Mitylene in insula Lesbo patria, circa Ol. 44., 602 a. Ch., Sapphus aequalis, fuit. Feroci animo praeditus, et fortis vir in sua republica cognitus[1]), contra Melanchrum, Myrsilum, Pittacum patriae libertatem defendere studuit, ab hoc autem, cum camoenis suis minacibus eum insectaretur[2]) expulsus est. Domus ejus referta fuit armis, galeis, gladiis: sed turpiter aliquando fugiens ab Atheniensibus publice conviciis est cumulatus, armaque ejus in Minervae templo Sigei affixa[3]) sunt. Proprium ille metrum (alcaicum) invenit, multa carmina composuit, odas, hymnos,

---

6) Plutarch. instt. lacon.

7) Horatius ejus imitator. Cf. Ejusd. epistt. lib. 1. ep. XIX. vs. 23 sqq.

— — Parios ego primus jambos
Ostendi Latio, numeros animosque sequutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

8) Vellejus Paterculus hist. rom. I. 5.

9) Valerius Maximus VI, 3. extr. 1.

§. 6. 1) Cicero tuscc. quaest. IV, 33. 2) Horat. Od. IV, 9. Bayle Dict. T. I. Horat. Od. I. 32. 3) Herodot. V, 95.

epigrammata[4]). Supersunt, quod valde dolemus, pauca tantum, in quibus Theocrito[5]) vulgo vindicatum idyll. 29. numerandum esse videtur.

Sapphus quamvis aetas satis certe destinari non potest, aequalis tamen Alcaei[6]) fuisse putatur. Vitam nefandam, et de qua plura dicere recusamus, degisse fertur. Sed cum Friderico Schlegelio recentiores defendere eam studuerunt et rejecerunt Ovidii testimonium, qui eam in Heroid. ep. Sapph. ad Phaonem amorem scelestum profitentem inducit. Ea quoque in exilium ire coacta, Siciliam petiit, ubi postea statua ei erecta est, Silanionis opus[7]). Phaonem amavit, repudiata vero fluctibus maris a rupe Leucadio sese immisit[8]). Amorem spirant odae ejus duae, adhuc reliquae[9]).

§. 7.

Solon.

Solon, cujus vitam Plutarchus uberrime descripsit, legislator ille, reique publicae Atheniensium administrator[1]) celeberrimus,

---

4) Cf. Hor. Od. IV, 9, 7. II, 13, 26 sqq.

Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli!

Ovid. Heroid. XV, 29. 5) De Theocrito vide observationes nostras in ejusdem loca difficiliora. Fascic. I. Giessae. 1820. 4.

6) Plinius h. n. XXII, 8. 7) Cicero in Verrem IV, c. 57.

8) Ausonius idyll. VII. vs. 24.

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.

9) Hor. Od. IV, 9, 10.

Delevit aetas, spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

§. 7. 1) Cicer. Off. I, 22. §. 75. — consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas. Idem Off. I, 30. §. 108.

pater patriae, vixit 590 a. Chr. Poëta[2]) quoque fuit, et si poëticas ingenii sui dotes excolere potuisset, cum Homero[3]) forsitan esset comparandus. Sed, tot tantisque publicis occupatus laboribus, parum modo temporis poësi dicare potuit, carminumque ejus pauca tantum restant.

§. 8.

Simonides, Mimnermos, Anacreon, Hipponax.

Simoniden, in Amorgo natum, Archilochi fuisse aequalem et satiras in metro jambico composuisse tradunt. Fragmentum earum adhuc exstat apud Stobaeum, parvi aestimandum.

Mimnermos Colophonius, Solonis amicuss, elegias, amoris dulcedinem celebrantes, scripsit. Antiquitas quidem poëtam[1]) eum aestimavit, sed quia moribus nocere carmina viderentur, Byzantii seriori tempore cremata feruntur.

Anacreon, cui musae faverunt, Cyri, Hipparchi, Polycratis aequalis et postremo loco nominatorum amicus (530 a. Chr.), Tejus fuit, postea Abderae in Thracia vixit, multa carmina odasque condidit, quibus metrum proprium fecit, et

amores ille pinxit,
dulcisque Bacchi gaudia[2]).

Sed, ob hanc vini dulcedinum descriptionem fervidam, uva quoque suffocatus esse[3]) dicitur. Odarum pars adhuc superest.

Hipponax, Archilochi imitator. Patria Ephesus. Quia ipsum, forma et facie turpissimum, statuarii Bupalus et Anthermus ita

---

2) Plutarch. et Laërtius in Solone.

3) Plato in Timaeo t. 3. p. 21.

§. 8. 1) Horat. Epistt. II. 2. 100. sqq. Propert. Eleg. I, 9, 10 sq. Strabo XIV, p. 940. Athenaeus I, 13. 2) Cicer. quaestt. tusc. IV, 33. Ovid. Trist. II, 363.

3) Valer. Maxim. lib. IX. c. 12.

finxerant, versibus suis mordacissimis eos adeo castigavit, ut cum amicis, tum hostibus terribilem se reddidisset[4]). In proverbium igitur abiit libera ejus dicendi ratio (praeconium Hipponacteum). Strabo, Diogenes Laertius, Plutarchus, aliique fragmenta nonnulla carminum ejus servarunt.

§. 9.

Aeschylus.

Tragicae camoenae genus, quod, cum ignotum adhuc esset, Thespis[1]) invenisse dicitur, ab Aeschylo[2]) perfectius redditum est.

Patria fuit Eleusis, Atticae urbs, ubi 525 a. Chr. Euphorioni patri natus est. Ingenio alacri praeditus non poëta solum, sed et miles excelluit, et in pugnis, quas ad Marathona, Salamin et Plataeas Graeci commiserunt, gloriam sibi multam paravit. Vigesimo quinto aetatis anno primum certamen poëticum iniit et postea saepius victor ex eis processit. Accusatus autem, nobis ita videtur, in fabularum una mysteria eleusinia prodidisse, ab Areopago fere mortis damnatus, virtute tantum fratris Amyniae servatus est. Gloriae cupidissimus id ferre nequivit, ut paucis post annis Sophocli in certamine palma sit oblata. Athenis igitur relictis, Gelam profectus est, ubi Hieron, rex Siculus, benigne eum excepit, valdeque honoravit. Hoc principe (468 a. Chr.) mortuo, Athenas quidem rediit, neque vero diu ibi commoratus est, sed iterum Siciliam petiit. Gelae 456 a. C. mortuus est et sepultus. Monumentum, ut ipse voluerat, inscriptum: „Hic jacet Aeschylus, Euphorionis filius, in Attica natus, mortuus in alma Gelae terra. Cujus Persae et sylva marathonica virtutem nunquam negabunt.“ Septuaginta alii, alii nonaginta fabulas composuisse eum dicunt. Septem adhuc tragoe-

4) Horat. Epod. VI, 13. Cicero ad diversos VII, 24. Id. Orator LVI. §. 189. Id. Natur. Deor. III, 38.

§. 9. 1) Horat. ars poët. vss. 275—277. 2) Id. ibid. vss. 278—280.

diae supersunt: Septem contra Thebas, Persae, Agamemnon, Sacra ferentes, Furiae, Supplices.

Prometheus ob furtum Lemnium poenas, ad Caucasum adfixus, pendet, sed ferox talis viri animus nec summis doloribus penitus opprimitur. Audiamus ipsum.

— — Aspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt nautae.
Saturnius me hic infixit Jupiter — —
Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus,
Jovis satelles pastu dilaniat fero[3]) — —
Et haec vetusta saeclis glomerata horridis
Luctifica clades nostro infixa est corpori:
E quo liquatae solis ardore excidunt
Guttae, quae saxa assidue instillant Caucasi[4]).

In tragoedia, Septem contra Thebas nomen gerente, duos fratres, Eteoclen et Polynicen, quos cum matre Jocasta Oedipus genuerat, certantes mutuoque caesos[5]) ictu videmus. Qualis et in hac tragoedia exstat majestas, qualis dictio! Venit nuntius, Eteocli regi hostium adventum narrans. Sacra, inquit, tulerunt septem audacissimi. Juvenci cepit cruorem clypeus niger, et quisque, huic sanguini dextram inuitens, per Martem, per Bellonam, per Terrorem juravit[6]).

---

3) Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem. Martial. Spectac. Epigr. VII, 1. 2.
Visceribus ille renascentibus nutrivit volucrem. Nam
Carnificem nudo pectore pascit avem. Idem Martialis Epigr. XI, 85.

4) Cicero Tusc. quaestt. II, 10. §. 23.

5) Acris Erinnys interfecit per mutuam caedem sobolem bellicosam Oedipi. Pindar. Olymp. II. 74. 6) Aeschyl. in Septem contra Thebas.

Persae Xerxis ad Salamina victi metum, Agamemnon, Sacra ferentes et Furiae, speculatrices et vindices facinorum et sceleris[7]), Agamemnonis, Clytaemnestrae et Aegisthi mortem, nec non Orestis fata; Supplices denique Danai filiarumque ejus historiae partem tractant.

Quamvis ingenio eum caruisse, nemo est, qui contendat, multa tamen vitio ei vertebantur. Alii, Chorum quidem, dixerunt, a loco principe merito esse remotum, sed nimiam adhuc auctoritatem habere[8]). Alii, fabularum expositionem modo justo longiorem[9]), modo obscuriorem[10]) esse, quod minime negamus, quia Aeschylus heroas suos vulgari modo loqui noluit ideoque plerumque brevitati studet.

Sed dici potest de eo, quod ipse de Hippomedonte[11]): „Ante eum ingreditur horror, cujus vertex astra attingit.“ Misericordia non est, quam excitare vult, sed terror; nam corroborare, quam emollire spectatorum animos maluit. Ita Clytaemnestra, scelestissimae exemplum impietatis, marito gloriatur occiso; at, non amore[12]), non amoris suspecti[13]) stimulis incitata — Dii ad trucidandum sua ipsius manu maritum eam coëgerunt, cum sanguinem sanguis posceret[14]). — Dicam libere[15]), inquit, dicam, nec timeo, — hic jacet Agamemnon, cujus ego uxor, manu mea mortuus[16]). — — Multum emicavit sanguinis in me — sed ego sum gavisa, ut plu-

7) Cicero de nat. deorum, III, 18. §. 46.

8) Aristoph. ranae vss. 945. 9) Aeschylus in Agamemnone. 10) Aristophanes in ran. 1163.

11) Aeschyl. Septem c. T. vs. 506. 12) Aegysthi. 13) propter Cassandram, quam ab Agamemnone amatam tradiderunt. 14) Aeschyl. in Agamemnone vs. 1571.

15) Ibidem vs. 1411. 16) Jam cum in Aulide convenissent Graeci, Trojam profecturi, et cum Iphigeniam, Agamemnonis ducis filiam, victimam pro salute exercitus datam, Diana servasset, dea haec illi praedixerat, e Troja domum reversum a conjuge esse interficiendum. Euripid. in Iphigenia Aulid.

via verna terra gaudet. — Illam necaverat, sanguinem suum, meam filiam, egoque ipsum. Quid loquor? Ego minime. Meum hoc opus esse putas? Ne Agamemnonis uxorem me credatis! Mortem ipsam, mortui uxoris facie induta vos fallentem, Clytaemnestram arbitramini[17])!

Sed ad gratiora nos vertamus.

§. 10.

Sophocles.

Sophocles, cui inter Graeciae poëtas tragicos principem locum adscribere Cicero[1]) videtur, et quem doctissimum hominum divinumque poëtam nominat[2]), 495 vel 497 a. Chr. prope Athenas natus est et patrem habuit Sophilum, opulentum nobilemque, qui probam ei eruditionem dari curavit. Quindecim annos natus[3]), eximiam ob pulchritudinem chorum duxit puerorum, qui propter Salaminiam victoriam navalem circa trophaea saltarent. Summo studio incubuit tragicae Camoenae, Aeschyli imitator, et, viginti sex annos natus, 469 a. Chr., Cimone judice, Aeschylum, qui tum quinquaginta sex annorum fuit, jam in certamine vicit. Postea vicies fere victor extitit et Athenienses, ut honoribus ipsum cumula-

17) Aeschyl. in Agamemnone vs. 1506.

§. 10. 1) Cicero Orator. I. 2) Cicero Divin. I. c. 25. §. 54. Divinus nominatur, propterea quod Dii ipsi faverent. „Qui, narratur, cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnio vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem saepius, ascendit in Areopagum: detulit rem. Areopagitae comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quaestione adhibita, confessus est, pateramque retulit.“ Cf. etiam Aristophanes in ranis 790. 1515 sqq.

3) Cf. Lessingii vita Sophoclis, pag. 50. „Fortis Aeschylus victoriae particeps, venustus Sophocles circa trophaea saltans, et Euripides ipso victoriae die in insula eadem felice natus.“

rent, a. 436 a. Ch., Periclis collegam in praetura eum fecerunt[4]). Ad summam senectutem Sophocles tragoedias fecit, propter quas cum rem familiarem negligeret, a filiis, Jophone praeeunte, in judicium vocatus est. Tum fabulam eam, quam proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse dicitur, quo facto judices eum absolverunt[5]). Et bene ceterum tulit senectutem[6]). Nam, libenter, inquit, e juventute profugi, tanquam a domino agresti et furioso, cum satiatis et expletis jucundius sit carere, quam frui. Nec invidia correptus, Euripidis ipse aemuli mortem publice questus est[7]), doloremque Atheniensium quoque tulit. Mortuum esse, nonaginta annos natum, ob laetitiam, quia in ludis olympicis victoria ei longe dubia concederetur, multi sunt[8]), qui narrent. Plus centum fabulis composuit, septem vero integrae tantum restant, quarum nomina et pauca de iis sequuntur.

1. Ajax. Achille interfecto maxima inter Ajacem et Ulyssem orta est contentio, arma defuncti utroque postulante; sed hic, eloquentia sua, ut sibi arma principum consensu tribuerentur, effecit. Turpi hac injuria iratus Ajax, Graecorum proceribus mortem ferre meditatus, quos servavit Pallas, sibi ipsi manus intulit.

2. Electra. Clytaemnestrae, Orestis et Electrae historiae pars.

3. Oedipus Rex. Oedipus, mortalium infelicissimus, patris

---

4) ad bellum contra Anaeam urbem gerendum. Cf. Cicero de officiis I. c. 40. §. 144.

5) et quasi triumphans domum rediit. Cicero de senectute cap. 7. §. 22. Valerius Maximus VIII. cap. 7. extr. N. 12.

6) Cicero de senectute c. 14. §. 47.

7) Sophoclem tradunt Euripidis morte ita tristem, ut atrata et pulla tunica se induerit et sine corona suas tragoediasab histrionibus agi voluerit.

8) Valerius Max. IX. c. 12. II. §. 5. Plinius hist. nat. VII, 53. VII, 30.

Laji occisor[9]), matris Jocastae maritus[10]), liberorum frater declaratur. Ipse, oculorum lumine propria manu privatus[11]), exul Thebas relinquit, Jocasta, pudore oppressa, vitam suspendio finit.

4. Oedipus Coloneus. Oedipus senex fugiens, Antigona filia duce et comite, omnesque itineris labores et pericula pro patre pie ac libenter ferente, Athenas venit, et in luco Eumenidum, quarum Athenis fanum[12]) erat, vitae terrestris aerumnis mire liberatur.

5. Antigone. Quam in carmine antecedente piam filiam cognovimus, eandem in hoc sororem piam videmus. Sepelit enim in pugna caesum fratrem Polynicem, invito, mortisque minante poenam, Creonte, avunculo ejus et rege Thebanorum: ideo mortis damnatur et viva sepelitur. Haemus, Creontis filius, Antigonae clam amans, pugione suo occidit. Eurydice regina, dolore tanto

---

9) Interfecit Lajum fatalis filius et oraculum antiquum perfecit. Pindar. Olymp. II. 70. Acceperat Lajus oraculum: Si gignes filium, interficiet te ille, et omnis tua domus peribit sanguine. Vel, secundum alios: Laje, Labdaci fili, filiorum genus beatum postulas. Dabo tibi carum filium: sed fatale est, tui filii a manibus relinquere lucem. Sic enim annuit Jupiter Saturnius, Pelopis diris execrationibus persuasus. Cujus carum abstulisti filium, hic imprecatus est tibi haec omina.

10) Oedipus, patre occiso, Thebas venit, aenigma Sphingis (de qua Ausonius:
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis,
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella)
solvit, regnoque ideo Thebarum atque Jocasta regina, matre, uxore potitus est. Diodor. Sic., Lactantius, Paufanias, Suidas in vita Oedipi, Palaephatus, Hesiodus talia narrant. Aenigma autem Sphingis, de quo jam supra dictum est, hoc fuit: Est bipes in terra, et quadrupes, idemque et tripes. Omnium, quae in terra reptilia moventur, in aëre et in mari, id solum naturam mutat. Et cum festinans pedibus pluribus pergat, tum celeritas membris imbecillima. Athenaeus, Dipnosophist. lib. 10.

11) Cum peccatum suum cognovisset, Oedipus prae dolore oculos sibi ipse eruit.

12) Cicero de nat. deor. III, 18. §. 46.

percussa, sua manu perit. Creon, idem facere conatus, retinetur, luget autem et filii et uxoris mortem.

6. Trachiniae. Dejanira, amore mariti Herculis flagrantissimo mota, venenatam tunicam, quam a Centauro Nesso donum[13]) acceperat, ei — quam pestem ipsi pararet, nescivit — misit, et Hercules, doloribus saevissimis dilaniatus, perit[14]).

7. Philoctetes. Philoctetes[15]), Herculis quondam amicus et Graecorum, Trojanis bellum inferentium, comes, in insula Chryse a serpente vulneratus et ab illis in insula Lemno solus erat relictus. Arcu et sagittis, dono Herculis morientis, ab Ulysse et Neoptolemo privatur, quia sine his Troja capi non potuit, et tum, Hercule ipso monente, tandem persuadetur, ut, quietem et valetudinem ibi recuperaturus, Trojam se portari, vellet.

Legas, juvenis, dramata haec pulcherrima! Excellit enim autor eorum clarissimus inter tragoediarum artifices grandiloquentia et verborum copia, majestate et splendore ita, ut tragici cothurni princeps esse[16]) videatur.

---

13) Cf. Ovid. metamorph. lib. IX. fab. III. et fab. II. in fin.

— — ultima dicta
Re probat, et missa fugientia terga sagitta
Trajicit; exstabat ferrum de pectore aduncum.
Quod simul evulsum est: sanguis per utrumque foramen
Emicuit, mistus Lernaei tabe veneni.
Excipit hunc Nessus. Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: et calido velamina tincta cruore
Dat munus raptae, velut irritamen amoris.

14) In Oeta, Thessaliae monte, rogum exstruxit, igneque combustus est.

15) Plura de eo Homer. Iliad. II, 718 sqq.

16) David Chytraeus regul. studior. p. 205. Martialis Epigr. III, 20.
An in cothurnis horridus Sophocleis?

§. 11.

E u r i p i d e s.

Natus fuit Euripides a. 480 a. Ch. ipso Salaminiae pugnae die hac in insula. Mnesarchus pater, quare Mnesarchides etiam audit, mater Clito[1]). Non Prodici solum et Anaxagorae[2]), sed et Socratis praeceptis usus, tragoedias componere incepit, cum Sophocle ipso aliisque poëtis saepius pugnavit et nonnunquam vicit. Cum apud exteras quoque nationes auctoritas ejus et gloria vigerent, et Archelaus, Macedoniae rex, eum secum habere vellet, Pellam profectus, ibique regis illius amicitia et benignitate usus est. Et

---

§.11. 1) Aristophanes Euripidi objicit, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse olim, sed scandicem. Plinius in hist. nat. Plura collegerunt Aristoph. Thesmoph. V, 393. Plinius hist. nat. L. XXII. c. 22. Valerius Maximus III, 4. II. §. 2.

2) Quem summa ornatum fuisse constantia Aelianus var. hist. VIII, 13 et Cicero tuscc. quaestt. III, 14. §. 30. tradunt. Nuntiata filii morte, Sciebam, inquit, mortalem me genuisse. Hanc praeceptoris sui constantiam sibi quoque plane inesse voluit Euripides, moribus asper et ferox, arrogans imo et superbus. Talia et in carminibus passim prae se fert, cum Thesea produceret dicentem:

Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii moestam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut si quae invecta diritas casu foret,
Ne me inparatum cura laceraret repens.

Idem in Oreste:

Neque tam terribilis ulla fando oratio est,
Nec sors, nec ira caelitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat.

Cf. Cicero tuscc. quaestt. lib. IV. c. 29. §. 63.

alios clarissimos viros ibi reperit, cum Timotheo Zeuxin[3]), pictorem hunc, musicum illum, celeberrimos, poëtam porro Agathonem, virum optimum, nostroque amicissimum. Annos 76 natum, 406 a. Chr. a canibus regis dilaniatum ferunt. Athenienses, mortem ejus vehementer lugentes, legatos Pellam misere, qui mortuum repeterent, Archelaus autem, dolore percussus, negavit patriaeque suae honori duxit, tanti viri servare reliquias. Sepultus est, ut Plinius[4]) narrat, prope Pellam, non procul a duobus rivis confluentibus[5]).

Quum Aeschylus homines pinxisset majores, quam esse debeant, Sophocles, ut esse deberent, — Euripides ita eos finxit, ut re vera sunt. Ita modo reginas producit, immani amore incensas, nil cupientes, nisi scelera; modo reges, rebus adversis obrutos, qui pannis obsiti incederent, mendicorumque ad instar manus porrigerent. Tales initio picturas homines repudiarunt, sed mox lubenter eas excepere: fato Phaedrae[6]) sceleratae permoti Athenienses Telephi fatum flebant.

---

3) Zeuxis pictor, de quo Socraticus Xenophon: Propter poëticam quidem Homerum habui in admiratione, propter artem statuariam Polycletum, propter picturam vero Zeuxim. Cf. Xenophon de dictis et factis Socr. lib. I. p. 422. ed. Henr. Steph. Et Cicero de inventione II, 1. §. 1. Qui (Zeuxis Heracleotes) tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur.

4) Plinii histor. naturalis XXXI. 2.

5) Athenienses autem cenotaphium ei struxerunt, inscriptum:

Est monumentum Graecia tota Euripidis, ossa
    Terra tegit Macedon, hic ubi fata tulit.
Patria Graecia Graeciae Athenae, plurima musas
    Delectans, ex multis hoc quoque laudis habet.

6) Phaedra, Thesei altera conjux, Hippolytum, illius ex Hippolyte filium vehementissime amavit; quem cum is amorem improbasset, laqueo illa vitam finit. Hippolytus a Neptuno, Thesei precibus moto, misere interficitur. Eurip. in Hippolyto. Ovid. Metamorph. Lib. XV. fab. 45.

Multa hic quoque poëta scripsit carmina, nonaginta arbitror; quorum septendecim adhuc supersunt. Longius esset, nomina eorum et argumenta tradere. Optimum Medea esse videtur, quae, Jasonis[7]) uxor, zelotypiae flammis arrepta, liberos et suos et Jasonis occidit: tum Phoenices, fata familiae Oedipi, Jocastae, Eteoclis, Polynicis mortem, Oedipi et Antigonae exilium tractantes. Iphigenia utraque, et Taurica et Aulidensis, melioribus adnumerantur. Narrat illa, Iphigeniam ab Oreste et Pylade[8]) e potestate regis taurici servatam, haec eandem Iphigeniam a Diana morte liberatam. Quae etiam usui scholarum et juvenum animo accomodata sunt.

7) Jason, de quo supra in §o. 1., cum Medea, Acetis Colchici filia, Corinthum venerat, ibique, oblitus fidei et beneficiorum, repudiata ea, Glaucen, Creontis regis filiam, uxorem ducit. Illa, quasi talis injuria ipsam non offenderet, recens nuptae vestes artificiosas mittit aureamque coronam. Sed latuit in iis venenum letale et Glauca perit, periculosa enim sunt hostium dona, ut recte ait Sophocles. Creon eodem veneno extinguitur. Interfectis tum, quos cum Jasone genuerat, liberis, Corintho Athenas fugit. Eurip. in Medea. Ovid. Metam. VII. fab. 20.

8) Orestes, Agamemnonis filius, interfecta matre Clytaemnestra, fugiens gravissimis malis obruitur. Consulit Apollinem, Delphos qui tenuit omniscius, et is, si e Scythia Dianae simulacrum Athenas ferret, omnibus ipsum liberum fore aerumnis respondet. Cum Pylade igitur, socio et amicissimo et constantissimo, amico, quales paucos terra genuit, eo profectus, a pastoribus scythicis comprehenditur, ut Dianae mactetur. Forte ibi Iphigenia, Orestis soror, quam, Aulide servatam, in hanc regionem Diana sustulerat, hujus deae sacris praefuit. Quae cum agnovisset fratrem, deae simulacro clam surrepto, cum fratre et amico, navi conscensa, in Graeciam aufugit. Thoas quidem, rex tauricus, fugitivos persequitur, Minerva vero eum prohibet et hilari eventu omnia componit. Eurip. in Iphigen. Taur.

Videas quoque Valer. Max. Lib. IV. Cap. 7. §. 1, ubi et amicitiae venustam invenies descriptionem. Sed ne prolusionis scholasticae modum excedamus, scripto nostro finem hic imponamus. De erratis pauca sequuntur.

Quamvis menda in typis exscribendis commissa tollere diligenter studuimus, nonnulla tamen errata adhuc inveniuntur propterea, quod hac ex officina liber, typis latinis exscriptus, nondum prodiit et quod typotheta atque typographus, promti ceterum paratique, linguae latinae parum gnari, literas quasdam, suo forte loco motas, eo, quo debuerunt, non reposuere, alias vero emendationes, easdemque repetitas, praetermiserunt. Ita factum est,ut literae et notae finales linearum 21 et 22 pag. 3., parique modo literae initiales lin. 1 et 2 pag. 4. confusae sint. Illic enim pro qu- legendum qui, pro millii vero milli-, et hic pro ter legatur per, loco putis autem tutis. Ceterum et pag. 12., lin. 6., ubi de Iliadis argumento verba fiunt, pro occupantibus leg. oppugnantibus, et pag. 19, lin. 9. pro coocta leg. coacta.

Haec hactenus. Progredior ad rem ipsam, cujus causa hasce pagellas conscripsi.

Vota faciens ardentissima pro salute Magni Ducis nostri regii, LUDOVICI, clementissimi, patriae Patris, Cui, mitissimo instauratori, maximas debent gratias musae Budingenses, Quem salvum faciat supremum numen cum tota Ipsius regia Domo: vota pro salute Virorum, Quos summa nobilitas, integritas, justitia, doctrina ornat, Quorumque consilio ad civium salutem promovendam Princeps utitur: vota faciens pro Comitis nostri celsissimi, morum candoris et mansuetudinis laude summa florentis, Domusque Ejusdem inclytae incolumitate: vota pro Virorum salute, Quos, sapientia, humanitate, industria singulari et eruditione solida conspicuos, omnium hujus provinciae scholarum, et, una cum Directore, summe venerabili, meritissimo, nostrae quoque, saluti prospicere, grato pioque animo sentimus — Gymnasii, hic florentis, solemnia verna, dd. XXIV. XXV. et XXVI. Martii publice celebranda, observantia ea, qua par est, et pietate indico.

Examini igitur nostro ut adesse velit Comes Celsissimus, Cujus jam saepius clementiam grata mente cognovimus, ut adesse velint omnes literarum fautores cultoresque, quocunque aut generis, aut dignitatis, aut ordinis, aut muneris ac meritorum splendore insignes, summe venerabiles, illustres, consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot bene Gymnasio cupiunt et bonis artibus favent, ea, qua decet, pietate oro rogoque.

Restat, ut nomina discipulorum, qui tertio solemnium die, XXVI Mart. MDCCCXXV, hora ante meridiem nona, declamabunt, et orationum argumenta addam. Primae classis alumni propriis ingenii viribus elaborata specimina proferent.

E classe prima.

Ernestus Philippus Werner, Echzelliensis, de Pericle Atheniensi, latine,

Eduardus Scriba, Schwickarthusanus, de Ludovico XIV., Galliae rege, gallice,

Augustus Bernhard, Budingensis, de Gustavo Adolpho, rege Suedorum, vernacule disserent.

E classe secunda.

Martinus Breitenstein, Wolfiensis, ex Homeri Iliadis libro VI, vss. 392. sqq.,

Leonardus Stansebach, Niddanus, Schilleri „Der Gang nach dem Eisenhammer“ recitabunt.

E classe tertia.

Carolus Lorenz, Budingensis, e Virgilii Aeneïdos libro secundo, vss. 705. sqq.,

Augustus Seitz, Vilbeliensis, Vossii „Der siebzigste Geburtstag,“

Carolus Cramer, Bergensis, Goethii „Bluemlein Wunderschoen“ declamabunt.

E classe quarta.

Franciscus, Francisci, Principis Wittgensteinii, filius, Wittgensteiniensis, Goethii „Die wandelnde Glocke,“

Fridericus Stein, Budingensis, „Der sterbende Hund“ autore Gellert. pronuntiabunt.